

**Dissertatio inauguralis medica, de curandis praecipuis oculorum affectibus  
... / [Heinrich Wilhelm Geisler].**

**Contributors**

Geisler, Heinrich Wilhelm.  
Fischer, Johann Andreas, 1667-1729.  
Universität Erfurt

**Publication/Creation**

Erfordiaae : Typis Groschianis, [1723]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/evuhavmv>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE

**CURANDIS PRÆCIPUIS  
OCULORUM AFFECTIBUS,**

QVAM  
MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE,  
REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,  
DOMINO

**JO. JOACHIMO HAHN,**  
EPISCOPO METELLOPOLITANO,

Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini, per Thuringiam, Hassiam & Eichsfeldiam, in Pontificalibus, Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalis Curie Pro-Vicario Generali, SS. Theologiae & Juris Vtriusque Doctore, Protonotario Apostolico, Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegiatarum ad Gradus B.M. V. & ad S. Joannem Moguntiae, respectivo Scholastico, Canonico Capitulari, & reliq.

AMPLISSIMO MEDICORUM ORDINE  
IN HAC PERANTIQUA HIERANA GRATIOSE, INDULGENTE  
SUB PRÆSIDIO

**DN. D. JOHANNIS ANDREÆ  
FISCHERI,**

CONSILIARI ET ARCHIATRI ELECTORAL. MOGUNT. COLLEG. MED. SENIO-  
RIS, PATHOLOG. ET PRAX. PROF. PUBL. PRIMAR. NEC NON MED.  
PROVINCIAL. DUCAL. ISENAC.

PATRONI ET PROMOTORIS SUI COLENDISSIMI  
PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA  
DOCTORALIA LEGITIME ADIPISCENDI,

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT  
AUTOR ET RESPONDENS

**HEINR. WILHELMUS GEISLERUS,**

Probsthayn. Siles.

DIE XXII. MARTII, A. O. R. MDCC XXIII.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS H. C.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

DEO,  
PATRIÆ,  
PATRONIS

ATQVE

AMICIS.



§. I.



**N** iis, qui oculos potissimum lædunt, affectibus recensendis, ordinis melioris gratia, & ut methodum Magnifici D. D. Rivini, Præceptoris mei fide & dexteritate spectatissimi, Patroni omni honoris cultu æternum venerandi, in Theſibus ſuis Pathologicis præſcriptam ſequi videar, Amavroſin ſive Guttam ſerenam primo loco placet explicare.

§. II.

Dicitur vero Amavroſis, ab *ἀμαυρόω*, lat. obscuro, appellationem naſta, iſ præcipue affectus, quando res eminus cominusve poſitæ obſcure admodum primitus viſuntur, ceſſante poſt omni luminis ſenſu, & quantumvis in oculo nihil vitii nec ullus a naturali oculi conformatione deſlectens error poſſit conſpici, ſpiritus tamen ob nervorum opticorum læſionem, obſtructionem aut compressionem influere, ſuoque in oculis munere fungi nequeunt.

Frequentissime hoc malum ex usu Mercurialium aut nimio, aut male sinistreque adhibito contingit, dum muscoli nervorumque origines Mercurialium noxa arroduntur, spasmus atque paralyfi adficiuntur, motuque suo debito privantur. Qua de re hoc in casu præstat humorum spirituumque influxum in oculos aut conservare, aut pro virili reparare. Si exanthemata non tam curata quam potius interiora versus repulsa Amavrosi dant occasionem, pristinum malum omnis generis solventibus sudoriferis & expellentibus erit revocandum, quorum nomine C. C. ust. Spirit. Ebor, lap. 69. Corallin.  $\frac{1}{2}$  n. diaphoret. resin. ligni Guajac. & similia commendanda. Perquam opportune memoriæ succurrit historia, notatu digna, mihi que a Magnif. D. D. Rivino plus simplici vice communicata, qua puella quædam post tineam capitis præpostere curatam tali Amavrosi correpta, sudoriferis vero & expellentibus aliquoties propinatis ac efflorescentiis pristinis iterum in conspectum prodeuntibus, ab hac visus obscuritate brevi temporis intervallo liberata dicebatur.

## §. IV.

Amavrosin Glaucomatis sive Glaucofis affectus excipit. Est vero Glaucoma vitium quoddam oculorum, quo humor vel Crystallinus vel Vitreus debita sua perspicuitate privatus glaucum, gryseum quasi lacteumque colorem imo subviridem quandoque induit, ut deinceps macula saltem candida profundius sita per pupillæ foramen conspiciatur, eamque ob  
causam

causam & radiorum visiorum transitus impediatur, rerumque pertransientium color vitietur. Secundum naturam senibus modo & in ætate decrepita constitutis hominibus hoc vitium est familiare, Hippocr. *aph.* 31. S. 3. notante; p. n. autem ex mutata humoris crystallini aut vitrei consistentia majorique ejusdem siccitate, impuritateve accidit; juniores vero in rei veneræ usu nimios incautosque ob notabilem spirituum copiam cum semine prolifico deperditam pessundatamque obrepit. Hoc in casu epithemata conveniunt, seu fomentatio oculi cum  $\forall$  rectificato & fœniculato linteo duplicato oculis sub lecti introitum imposito, & per noctem ibidem retento. Proderunt quoque flor. borragin. vel bugloss. Vini spiritu imbuti, tum ad glaucoma imminens præservandum, tum, si nondum altas egerit radices, quantum possibile tollendum atque extirpandum: Aliis TR. bugloss. cum phlegmate aluminis in hoc affectu magis probatur. Confirmatum vero non nisi acus ope tollitur, sic unquam tollitur.

§. V.

Adficitur porro oculus, quando pupillæ aut corneæ tunicæ mucus quidam plus minus viscidus indeque enata pellicula prætenditur, adeoque radiorum transitu in humores impedito cæcitas tandem plenaria subsequitur, quod oculorum vitium Cataractæ alias seu Suffusionis nomine notatur.

§. VI.

Differentiæ Cataractæ partim a colore, partim a maturitate desumuntur. Quoad colorem pro diver-

fitate humorum intra oculos peccantium ea in albam five lacteam, nigram, cineream, cæruleam, viridem, flavam, rubram, dividitur; intuitu vero maturitatis, in maturam, immaturam & inveteratam optime dispescitur.

§. VII.

Matura dicitur Cataracta, cujus materia pelliculæ nec mollitie, nec duritie excedentis consistentiam adæpta depositionis operationem admittit; immatura e contrario vocatur, quando consistentia nimis laxa & ad depressionem & ad depositionem minus idonea existit; hæcque denuo triplicis est generis, quatenus sc. humor aqueus modo corpusculis opacis non continuis sed potius dispersis scatet, modo corpusculum magis conspicuum hoc illudve pupillæ latus occupat, modo pellicula tenuis, mobilis & facile dissolubilis totam pupillam obruit obnubilatque; inveterata denique audit, cujus pellicula nimis indurata & vicinis partibus pertinaciter adhærens acus cuspidi haud cedit.

§. VIII.

Porro Cataracta in perfectam atque imperfectam, seu veram ac spuriam distinguitur. Vera five perfecta Cataracta est, quando visus omnis tollitur, pupillaque oculum inspicientium similis vitro contaminato, obscuro aut minus perspicuo haud absimilis videtur, jamque gypseus, jam argenti vivi, nunc viridiusculus, nunc lividus nunc alius color in oculo apparet; aut quando color albus perfectus, aut alii colores post pupillam conspiciendi sese exhibent. Spuria vero five imperfecta Cataracta rerum circumvolitantium

tantium phœnomenis crescentibus ac decrescentibus indigitatur; cum e contrario si vera fuerit Cataracta, corrufcationes & apparitiones illæ sint continuæ, crescentes semper, visumque indies magis magisque obscurantes. Adhæc vera perfecta que Cataracta unum frequentius saltem oculum occupat, cum spuria e contrario ob causam communem utrumque communiter oculum adficiat.

§. IX.

Ad causam cataractæ primariam quod attinet, eam a prædominantibus humoris aquei particulis viscidis derivandam esse credimus, utpote quæ particulæ arctius inter se invicem implicatæ tandem in membranulam concrefcunt, visionemque, radiorum visivorum irruptionem turbando & intercipiendo, modo lædunt, modo plane destruunt. Ettmüllerus, cujus famam, quam sibi & literarum monumentis apud orbem literatum, & praxi felicissima apud miseros ægrotantes comparavit, nulla unquam vetustas obscurabit, nulla oblivionis injuria delebit, *Oper. suorum Medic. Tom. II.* causas ejusdem occasionales ab uveæ seu alterius cujusdam tunicæ fibræ p. n. excrementibus deducit, enatamque exinde membranam, si coagmentata totam pupillam obtegat, visum plane abolere, si vero dimidiam saltem pupillam occupet, omnia quasi perforata in conspectum prodire dicit. Sed sufficit jam jam indicasse, omne id, quod humoris aquei incrassationi ansam præbet, multum ad membranæ istius generationem conferre, quorsum cachexia, scorbutus, abusus sex rerum non naturalium,



ralium, radiorum solarium vel ignis inspectio incauta spectat.

§. X.

Scio equidem, quosdam Neotericorum, quos inter Heisteri nomen celebre primatum tenet, membranam modo allegatam pro re magis fictitia quam Vera atque genuina cataractæ causa ventilare, hocque assertum argumentis non contemnendis stabilire, sedem cataractæ non tam in humore aqueo & pupilla sed in lente crystallina constituentes. Lis autem nulla re alia melius potest dirimi, quam si cataractam a Glaucomate lenteque indurata probe, uti par est, distinguamus. Nec video, quid impediatur, ut Cataractæ sedem in humore aqueo vitiato pupillaque læsa potius quam in lente crystallina affecta collocemus, præcipue cum multa crebroque usu comprobata profertur experimenta, hujus opinionis, quod Cataracta in lente crystallina sedem figat, contrarium edocentia.

§. XI.

Constat etenim per avtopsiam, & plus simplici vice fuit observatum, pelliculam hujusmodi immaturam acus punctura humoris ad instar diffluxisse, quod tamen cum lente crystallina minus congruere videtur; & ego memini, me a Magnifico D. D. Schachero Lipsiens. cujus ab ore disertissimo per integrum triennium mihi pendere licuit, audivisse, se ejusmodi coagulum nondum in veram pelliculam concretum in oculi vitulini humore aqueo observasse. Sed, quid prolixius hac de controversia differere opus sit,

fit, plane nescio, cum tot Autorum observationes pelliculæ generationem in humore aqueo confirman-tes haud temere sint rejiciendæ, ac inter pelliculæ tenuioris texturæ atque lentis induratæ depressio-nem haud minimum discrimen ab operatore obser-vetur.

§. XII.

Causæ remotiores Cataractæ vel a lacrymatione immodica, vel ab oculorum inflammatione, contu-sione & vulneratione, repellentium fortiorum in ophthalmia abusu, nec non ab externa corrosivorum applicatione petendæ sunt; nonnunquam hæc infeli-citas ab ipsa nativitate dependet, qualem Cataractam connatam Boile *de Utilitate philosoph. experiment. Tom. II. part. I. p. 72.* sanatam refert.

§. XIII.

In signis Cataractæ tum diagnosticis tum pro-gnosticis commemorandis ne justo prolixior existam, placet solummodo ex variis Cataractæ speciebus, (ad quas discernendas propria & specifica signa requi-runtur) primaria Cataractæ immaturæ maturæque indicia L. B. communicare. Cataracta quippe im-matura ex simulacris, punctis, filamentis, pilis, ara-nearum telis, muscis &c. oculos circumvolitanti-bus, objectis sub alieno colore, aut duplicibus, mul-tiplicibus, dimidiatis, fissis &c. sese repræsentanti-bus, nec non ex pupillæ colore obscuro, vel mem-branula valde mobili, visuque adhuc residuo, quo co-lorum diversitates ab ægro distinguuntur, inno-tescit. Ast non semper hujusmodi prodromis Cata-ractæ

*ſtæ* indicantur, ſed ex improvifo nonnunquam & ſu-  
 bito ſatis oriuntur, ita, ut Fernel. *lib. V. Patholog. Cap.*  
*ſ.* de ſuffuſione una die exorta, Woolhuſius Ophthal-  
 miater per Europam celeberrimus, in diſſertationi-  
 bus Ophthalmicis, quas de Cataracta & Glaucomate  
 inſcripſit, *pag. 48.* Cataractæ uno temporis momento,  
*pag. 49.* intra unius noctis ſpatium formatae mentio-  
 nem faciat, cujuſque rei certitudo Hildani *Cent. V. ob-*  
*ſerv. 14.* Bartiſch. *Augendinſt, part. 10. C. 2. p. 44.* exem-  
 plis notatu dignis ſuffulcitur. Maturæ vero Cata-  
 ctæ ſatis evidens indicium eſt, ſi pupilla penitus ob-  
 ſcurata, pelliculaque nec frictu facili mobilis, nec pror-  
 ſus immobilis exiſtat, ægerque præter lucis ſplendo-  
 rem nec quidquam oculo ægro videat; inveteratæ  
 autem ſignum certiffimum ex pertinaci pelliculæ co-  
 hæſione duritieque notabili pateſcit.

§. XIV.

Prognofin vero ſpeciatiſſime quod concernit, Cata-  
 ctæ immaturæ remediis ex fonte pharmaceutico  
 depromptis, maturæ vero manu chirurgica rectius  
 medemur; aſt inveterata tum pharmaceuticorum tum  
 chirurgicorum efficaciam illudens curam modo pal-  
 liativam admittere conſuevit. Opus præterea hic loci  
 eſt, ut & de debita maturatione & adæquato Cataractæ  
 deponendæ termino nonnulla in medium proferamus.

§. XV.

Veterum Medicorum æque ac Chirurgorum ve-  
 ſtigia ſi premere nobis volupe eſt, conveniens Cata-  
 ctæ maturatio ante ſextum vel ſeptimum annum vix  
 erit expectanda, adeoque & deſiſtionis tempus ad-  
ter-

terminum modo descriptum usque erit differendum. Ast enim vero cum solâ temporis mensurâ Cataractæ crassities ac maturitas sufficiens nequeat determinari, sed suffusio alia longius alia brevius (pro diversa materiæ quantitate, calorisque majori vel minori vi) temporis spatium requirat, hanc sententiam ut pro lege avide accipiamus, meo iudicio non est consultum. Collibet tamen, quæ beatæ memoriæ Etmüllerus de debita Cataractæ maturatione, justaque ejusdem depositione l. c. consignavit, pagellis nostris levibus inferere. *Alba, is inquit, Cataracta vix ante annum sextum chirurgiam admittit, & si citius instrumento tractetur, ab hoc lactis ad instar dissolvitur; pari modo si operatio diutius differatur, per eandem in lamellas tenuiores instar glaciei frangitur. Cinerea vero citius maturescit, i. e. sæpius intra quinque vel sex menses; Cærulea minus frequens curatuque difficillima existit, cum tardius ad maturitatem decentem vergat, spiritus interim valde debilitet, vel humorum pelluciditatem destruat, ita, ut pellicula etiam separata, visus tamen obscuritas & imbecillitas remaneat. Viridis & flava citius maturescunt, posterior tamen nisi mox detrahatur, instar cornu durescit, hincque chirurgiam non admittit. In junioribus facilius deponitur & sine recidivæ periculo; notandum vero, Cataractæ depositioni nec serilem, neque puerilem, sed mediam inter has ætatem, esse idoneam. Liceat quoque hac occasione circumstantias Cataractæ depositionem prohibentes attentius paululum considerare; quales sunt cephalalgia enormiores, utpote quæ caput in situ tranquillo quietoque servari non permittunt; 2) febres vel alii morbi chro-*

nici atque diuturniores, qui ob motum humorum citatiorem, aut præcordiorum anxietates, aut alia incommoda gravissima causari valent, præcipue, si M. Snea pravis humoribus referta sit, unde motus sanguinis enascitur irregularis; 3) si membrana Cataractæ nimis flava sit nigraque, utpote qui colores æque ac cæteri de humorum impuritate affatim testantur.

§. XVI.

Ad curam Cataractæ internam progressum jam-jam facientes, eam, quamdiu suffusio immatura texturæque laxioris pellicula adhuc fuerit, purgantibus, & pravos humores corrigentibus, externe simul Collyria vel Epithemata adhibendo, adornandam esse ducimus. Hujus generis purgantia & laxativa, quæ pravos humores per guttur inferius educunt, ꝑr. dulc. Agaricus, rad. & res. Jalapp. fol. senn. Aloës atque ex ea parata, MP. de Succin. Crat. præcipue, resin. Scamm. rad. polypod. Crem. & Crystall. ꝑr. Tartarus Vitriolat. atque similia constituunt. Vomitoria haud æque valent, tum ob totius corporis concussionem, tum ob fortiorem & ex nisu vomendi ortam diaphragmatis constrictionem, ut ideo sanguis concitatiore motu pariter atque largiori quantitate ad caput feratur, quorsum translatus faciem rubore suffundit, & oculos intumescere facit, ita, ut hi ex vomitu plurimum patiantur, verba sunt prælaudati Magnif. D. D. Schacheri, *in dissert. quam de Cataracta nitide admodum conscripsit, consignata*. Nec sternutatoriis in Cataractæ cura locus ullus est relictus, quantum enim pravorum humorum his remediis e

cor-

corpore eliminamus, tantum etiam materiæ peccantis horum potissimum auxilio advocamus allicimusque: Errhina vero, indicatione medica præsentē, securius admitti possunt,

§. XVII.

Ad pravos humores corrigendos, præcipue, si acrimonia acida prædominetur, omnis generis ant-acida remedia, ante purgantium usum adhibenda, convenient; hæcque sunt vel  $\nabla$ ea, Lap. cancr. ppti C. C. ust. & sine igne ppt. ebur. ust. Corall. R. ppt. vel Martialia, limat. Martis, & Tincturæ Martis &c. Alkalia tum Volatilia, Spir. Salis Armoniaci, Sal Volatile C. C. Liqu. C. C. succinat; tum fixa,  $\Theta$  ab-synth. Card. benedict. Centaur. minor, &c. Pro scopo particulas humorum viscidas incidendi resolven-dique lign. sanct. sassafr. horumque cortices inpri-primis, rad. sars. paril. sem. aquileg. Card. bened. fœ-nicul. Euphras. Chelidon. idque genus alia in apoze-matis forma adhibita, atque purgantibus admixta pro-sunt, humores pravos edulcorando, incrassatos dilu-endo, atque nocivos evacuando. Et quantum pro hoc fine obtinendo Thermis Carolinis veniat attri-buendum, quilibet aquarum istarum natura, virtute-que depurandi, resolvendi, evacuandi accuratius per-specta, me etiam non monente facile intelliget. Præter-ea nec fonticulorum setaceorumque usus in abducendis evacuandisque pravis humoribus insignis, præcipue, si præter suffusionem Epiphora seu continuum lacry-marum stillicidium occurrat, aut Catarrhis corpus impurum divexetur, silentii peplo involvendus.

Epithematum seu remediorum topicorum catalogum  
 Aqua Euphras. Aqua vit. Spiritu matric. vel Spirit.  
 Salis Armoniaci acuata, vel Collyria ex Aqua Che-  
 lidon. & Croco metallor. confecta, tribus de his qua-  
 tuorve guttulis ter quaterve in die oculo immixtis,  
 copiosiore reddunt. Parem nobis polliceri possu-  
 mus effectum, si fotibus oculi demulceantur, vapore  
 calido Croci cum Aqua Chelidon. maj. ad illos admissio,  
 vel si omnis generis herbis cephalicis & nervinis, e.  
 g. Euphras. rorismar. major. flor. Chamomill. &c.  
 cum Vino coctis oculi foveantur, vel si more nicotianæ  
 accendantur jam commemoratæ herbæ, harumque  
 fumus fistula consueta hauriatur, fumusque oculis in-  
 suffletur. Cavendum tamen, ne acrioribus, magisque  
 volatilibus oculi bulbus, ob exquisitam, quam possidet,  
 sensationem, lædatur atque irritetur.

§. XVIII.

Cura diætetica in moderatiori cibi potusque as-  
 sumptione, maxime vero dyspeptorum, flatulento-  
 rum, alimentorum acidorum, carniū infumatarum,  
 cerevisiæ fœculentæ abstinencia, aëris frigidioris evi-  
 tatione, motus quietisque moderamine, excremen-  
 torum debita evacuatione, animi pathematum in ex-  
 cessu peccantium intermissione, potissimum confi-  
 stit.

§. XIX.

Cataractæ depositionem, elegantem & subtilissi-  
 mam operationem, tanquam curam externam, & ad  
 Chirurgos magis quam quidem Medicos spectantem,  
 relinquimus intactam; nihilo tamen secius L. B. hac  
 de

de re sufficientis cognitionis cupidum ad Clariss. Heister. Chirurg. Magnif. D. D. Schacheri supra allegatam differt. aliosque libros chirurgicos volumus allegatum.

§. XX.

Præmissa Cataractæ brevi succinctaque explicatione, ejusque interna curatione, opus nunc est, ut ad Ungvis quoque considerationem & pertractationem propius accedamus. Ungvis sive Pterygium nominatur, si membranulâ quadam minus perspicuâ corneæ tunica obducitur. Oritur hoc mali genus vel a particulis terrestribus & arenosis, pulverulentis, in oculos ex improvise incidentibus, vel ab acrimonia humorum, serique acrioris defluxione. Inter remedia ad Ungvem ejusmodi ex voto successuque optato removendum idonea Lap. scissil. & vetustate & tempestatum injuriâ friabilis factus atque in pulverem pene impalpabilem redactus, ob vim, qua pollet, veneram, laudem eximiam meretur, si scil. vesperi per calami cannulam oculis provide infletur, talisque actus aliquoties reiteretur. Convenit quoque tutia, pomphol. cum lapide scissili commista. Aqua ophthalmica comm. aut Vitriol. alb. solut. ni cum judicio adhibeatur, ansam haud raro oculorum inflammationi præbet. Nec displicet mihi adeo, quod a venatoribus & opilionibus in arcanorum fere numero atque pretio habetur, Aqua nimir. Caryophyllorum, canum, ungue talismodi laborantium, oculis inspersa; modo caute circumspicteque applicetur. Præter hæc vero animalium quoque pinguedines, v. g. axung. lepor.



por. asciæ pisc. viperarum, serpentum &c. si palpebris oculorum illinantur, egregium in Ungue tollendo præstant effectum.

§. XXI.

Pannus e contrario is affectus nominatur, si corneæ perspicuitas tunica quadam minus densa sed retiformi obscuratur, eaque tota obtegatur, ut ideo foramine pupillæ clauso nullus radiis luminosis visivisque aditus pateat. In causas hujus mali si accuratius paululum inquiremus, eas vel a glandulæ in oculi cantho sitæ, membranæque adnatæ aliquali læsione, vel ab humoribus salino acidis atque acris carnem in angulo majori sitam arrodentibus, ipsamque membranam oculi adnatam lædentibus, deducendas esse patet. Hæc tunica s. n. alba, indolens & tensilis, si crassa, dura, dolorosa, nigricans, vel alio quodam colore pro nutrimenti humorumque diversitate tincta, imo, nimis laxa animadvertatur, eam a statu naturali multum deflexisse constat. Malum hocce adhuc recens uti pharmaceuticis remediis haud difficile curatur, sic inveteratum difficulter & vix sine arte chirurgica eradicatur. Quod si v. cancrofa hæc tunica appareat, ea ut ne attingatur, B. Ettmüller. l. a. suadet, ne sc. exasperetur, & subinde in cancrum exulceratum abeat. Idem esto iudicium, si cum panno incipiente principium quoddam suffusionis in oculo percipiatur, quod post variolas &c. frequentius accidere solet; Ungue enim sublato, suffusio citius contrahitur.

§. XXII.

§. XXII.

Ad hanc tunicam delendam succ. formicar. rubrar. in arboribus resiniferis habitantium expressus, per pannum depuratus, vel aqua appropriata dilutus, oculisque instillatus commendatur. Subjectis tenellis aut delicatioribus, si tunica adhuc recens & nondum adeo tenax est, mel pelvi æneæ illitum, carbonibusque ignitis suppositis lente calefactum, usque dum mel viriditatem contraxerit, usui insigni est, si nempe illa oculi pars, quam tunicæ noxa obsidet, melle isto calido blande illinatur. Proderunt & hoc in casu omnis generis remedia vi quadam abstergendi prædita, lap. scissil. fab. marin. seu umbilic. mar. & similia. Pro scopo externo aquis refrigerantibus, aqua rosar. alb. flor. fabar. Sigil. Salomon. sperm. ranar. &c. opus erit.

§. XXIII.

Albugo quæ Levcoma Græcis nominatur, est macula alba in corneæ tunica apparens, ortumque vel ab humoribus vitiosis, ibidem extravasatis & congestis, vel a cicatrice, aut corneæ læsione trahens. Leucoma haud semper eadem facie sese sistit, sed & ratione situs, & intuitu magnitudinis colorisve variat. Nunc enim partem corneæ tunicæ mediam, nunc lateralem, jam superiorem, jam inferiorem occupat, modo anteriorem modo posteriorem magis vexat. Si in externa corneæ parte macula hæc sedem figat, oculi tumor admodum extuberat, si vero circa interiora magis delitescat, non adeo sensibilis particularisque tumor e

corneæ superficie emergit. Intuitu magnitudinis Leucoma interdum minimum saltem albi coloris punctulum constituit, interdum acini uvæ faciem exactius describit. Color vero pro humorum peccantium varietate varius quoque observatur. Qui ophthalmia eaque chronica laborant, Leucomatis tyranni frequentius succumbunt; pari ratione humores pravi in corneæ tunicam effusi ibique stagnantes Leucoma sæpius post se relinquunt; interdum aliæ etiam sanguinis impuritates Leucomatis morbo viam parant, eorum potissimum exemplo, qui variolis ægre adeo succumbunt, ut dies aliquot visus facultate penitus destituantur. Alio vero tempore a vi externæ oculo illata hic affectus accidit, oculi videlicet globo vehementer admodum percusso, tubulisque sanguifluis contortis aut dilaceratis, ut ex in vasculis suis humores contenti evacuentur, stagnantes vero tandem in puris ejusmodi sive Leucoma degenerent. Reliqua vero symptomata, quæ Leucoma plerumque comitantur, pro causarum occasionalium constitutione & differentia quoque differunt.

§. XXIV.

In Diagnosi quam maxime necesse est, ut Leucoma ab Hypopio caute circumspecteque distingatur. Hypopium enim puris sub cornea atque iride collectionem denotat, eoque in casu macula quidem alba per corneæ tunicam transparens in conspectum prodit, situ tamen a Leucomatis malo multum differens,

rens; si itaque pus partem interiorē versus magis vergat, illudque oculo frictō situm mutet, Hypopium dicendum erit. Nonnunquam purulenta hujusmodi materia egressum nullum inveniēns in durum corpusculum concrevit, aut in monstrosam satis tunicam degenerat, ita, ut nihil liquidæ vel fluidæ substantiæ amplius compareat.

§. XXV.

In hoc malo rite curando collyria de acredine quadam participantia conveniunt, v. g. fœnic. Euphras. Tut. pp. Vitriol. alb. inter se invicem commixta, igneque leniori cocta, de his gutta una aut altera bis terve in die oculo applicanda. Sunt nonnulli, qui camphoræ usum, inflammatione in hoc affectu præsentē, commendant atque approbant; nec ullo modo negari potest, camphoram vi discutiendi egregia instructam esse: Verum, cum de acredine insimul notabili participet, cujus contactum oculus quoque sanus non æque impune fert, tutius est, aut in excessu non peccare, aut usu ipsius prorsus abstinere. E contrario, si humores frigidi in corpore prædominantur, camphoræ usus omnino venit commendandus. Nec incongruum erit, si palpebra inferior aquis quibusdam ophthalmicis, aqua sc. euphras. rosar. alb. flor. cyan. guttulis aliquot  $\text{V}$ , Spir. Salis Armoniaci &c. acutis illinatur, vel pro eodem scopo fucus ex herbis cephalicis c. vino paratus coctura mediante usurpetur. Nonnunquam vero in hoc malo removendo dextra providaque incisione opus est. Si itaque pus

acinum uvæ repræsentet, pars pustulæ inferior acu commode pertundi potest, quodsi vero hæc macula interiorem, mediani aut profundioris corneæ partem apprehendat, puris extractio valde difficilis existit.

§. XXVI.

Ad Ecchymomatis seu saggillationis dum jam progredimur tractationem, hujus denominationis ortum a p. n. sanguinis effusione indeque pendente ejusdem coagulatione, quæ cum inflammatione conjuncta oculi tunicam, cum primis adnatam & scleroticam obsidet, haud inique derivamus. Causa hujus mali vel a contusione, plagis oculo inflictis, vasorum nonnullorum dilaceratione, vel ab humorum lacrymalium acredine, vel totius M. Sneæ acrimonia petenda erit. Sanguis quidem extravasatus nec ullam ferme molestiam creat; ast enim vero, si sanguinem extra vasa sua effusum stagnatio & coagulatio sequatur, ob impeditam humorum circulationem affectus iste cum majori periculo doloreque exquisitiori conjunctus apparet. Remedia huic affectui appropriata ex meris anodynis leniterque discutientibus sunt præparanda, quorum nomine pro intentione dolorem mitigandi lac cum flor. sambuc. papav. alb. Chamomill. pro scopo discutiendi Hyssop c. Rad. Sigill. Salom. Vino coct. Spirit. fœnicul. rectific. & Camphorat. commendantur. Si interiora magis quam exteriora oculi adficiantur, ex Herb. Chelid. maj Hyssop. fœnic. flor. anth. & Cariophyll. paratus spiritus, præsentaneum  
alias

alias quoque ad suggillationem discutiendam remedium constituens, locum obtinebit. Calor intensior si præsens sit, refrigerantibus adæquatis v. g. ceruff lap. calamin. albumine ovor. alumine, cum aqua rosar. stupa mediante impositis, erit mitigandus; pro scopo interno corpus impurum modice laxantibus anodynis admixtis purificandum; acrimoniæ vero stimuli ▽ quad. figill. v. g. Goldbergens. it. C. C. ust. matre perlar. & similibus obtundendi. Cæterum a vini potu omnisque generis aliis, inflammationem gignentibus, provide patientes abstineant oportet.

§. XXVII.

Sequitur nunc communis valde & frequens affectus oculorum, omnium certe complexus aliorumque fons merito dicendus, cum inflammatione, dolore, oculorum rubore, lacrymarumque profusione ferè perpetua conjunctus, Ophthalmiæ aliàs, germ. *Entzündung der Augen*, titulo insignitus. Interdum citra fluorem insignem oculus siccus atque squalidus apparet, interdum continuo oculus illacrymat; quamobrem prior affectus Ophthalmiæ siccæ, posterior vero humidæ seu Epiphoræ nomine notatur. Uterque affectus vel a causa interna, seri nimir. acrimonia abundante, sive a tota M. Snea, sive a cerebro huc delabente; vel a causa externa, ignis v. g. radiorumque solarium aspectu, oculi frictione nimia, frigore æstive graviore, vini potu, prava lucubrandi consuetudine, vel aliis causis procatarteticis existit. Sæpissime variolis combinatur vel succedit, imo Dysente-

riæ eandem subsecutam esse, beatæ memoriæ Wedelius *Dissert. de Ophthalm.* inscripta annotavit. Hoc vero in passu humor irruens maleque oculos adffigens demulcendus, dissipandus, revellendus, alterandus, corrigendus. Ad alterandum atque dissipandum refrigerantia, discutientibus permixta & in principio applicata, e. g. ipsa aqua frigida, vel aquæ destillatæ chelidon. maj. euphras. verben. spermat. ranar. conducunt; ad alterandum atque demulcendum, præter frigida aquea mucilaginosâ quoque locum habent, v. g. album. ovor. cum aqua rosar. tantilloque aluminis conquassatum, palpebræ oculo clauso imponendum; it. mucilago e sem. psyllii, cydonior. plantag. cum aqua aliqua ophthalmica parata, cum albumine ovi & cum vel sine alumine commista. Ad alterandum, dissipandum, corrigendumque metallica & mineralia conducunt,  $\text{O}l.$  alb.  $\text{O}l.$  Cypr. tut. Alexandr. croc. metallor. sacchar. Saturni, & quæ inde parantur collyria. Internè copiosior seri acris, calidi, & sanguinis affluxus arcendus atque avertendus, idque pharmaceuticis æque ac chirurgicis remediis instituendum. Ex pharmaceuticis 1.) temperantia & acrimoniam humorum corrigentia sunt commendanda, v. g. C. C. ust.  $\nabla$ æ pingv. Ocul. cancr. Antim. diaph. simpl. & martiat. Gum. Arabic. &c. 2.) Evacuantia purgantiaque, Fol. Senn. Jalapp. cum  $\nabla$ eis, & cinnabarinis commixta, quæ serum superfluum imminuunt, atque per guttur inferius excernunt. 3.) Masticatoria, rad. Valerian. cubeb. mastich. 4.) diaphoretica, Bez. mineral. Bez. Jovi. Cinnabar. antimonii, TR. Bezoard.

Bezoard. f. ʒ. do. Remedia ex fonte chirurgio de prompta, V. Sne, cucurbitulis cum vel sine scarificatione, hirudinibus pone aures adhibitis, vesicatoriis in nucha, retrò aures positis, vel, quod securius, ut & fonticulis in brachiis pedibusque, nucha, nec non setaceis, absolvuntur; his enim, alio multoque convenientiori loco monstrato, exitus feri falsi promovetur. Ad musculos oculorum roborandos pinguedo viper. serpent. &c. palpebris ad i. vel ij guttulas applicanda convenit, quo etiam Unguentum ophthalmicum Mynsychti, Vitriol. alb. aliaque remedia aromatica vaporatenuis ad oculos delata masticationis interventu, spectant, v.g. sem. anis. fœnicul. cubeb. rad. valerian. helen. melissa, idque genus alia. Herbæ nicotianæ usus, quo solo haud pauci ophthalmia commemorantur liberati, in Ophthalmia sicca non æque prodest.

§. XXVIII.

Ophthalmiam Maculæ excipiunt volaticæ, in aëreo humore residentes, oculoque elato insimul quidem ascendentes, sed sua sponte iterum quoque descendentes; quapropter hæ maculæ ab iis probe discernendæ, quæ vertigine correptorum oculis sub nubecularum, muscarum vel aliarum macularum scintillantium & nigricantium specie obversari videntur. Hæ, quamprimum in corneæ tunica figuntur, suffusionis plerumque periculum inducunt. Huic vero oculorum vitio modice discutientibus v.g. rad. valerian. c. fœnicul. infus. vini cum valeriana, caryophyll. aromat. qui vero cum grano salis adhibendi, mature occurrendum est. Pro scopo evacuati-

di



di per nares, fol. nicotianæ cerevisia aliquoties madefacta, sensimque denuo siccata turundæ ad instar naribus immittuntur. Oculorum adhæc usus esto parrior, man muß die Augen ein wenig schonen.

§. XXIX.

Nyctalopia ex *νόξ* & *ὀπτομα* derivata duplicis est significatus. Primo enim significat visus hebetudinem, quæ nocte, vel in locis tenebrosis, accensa licet candela, citra ullum in clariore impedimentum accidit; postea illa est hebetudo oculorum in clariori diei lumine, nocte vero & in umbris sat clara perspicuitas. Hæc animalium quibusdam propria, illa vero nonnullis hominibus familiaris est. Jam de priori affectu agere, nostri erit instituti. Causa hujus mali in pupilla præprimis, ejusque nimia dilatatione hæret. Pupillam enim matutino ac vespertino tempore æque ac in locis opacis atque tenebrosis magis dilatari, horis vero antemeridianis juxta & pomeridianis, radiis solaribus impetuose irruentibus, potius constringi, res est, extra omnis dubitationis aleam posita. Pupilla itaque nimium justo dilatata, cum liberior radiorum copiosiorum in oculos pateat aditus, quid mirum quæso, si tunc objectum percipiendum aut plane non aut confuse saltem in oculo repræsentetur. Hoc in casu cum quædam pupillæ paralyxis sit præsumenda, antiparalytica v. g. aqua lavendul. aqua Regin. Hung. Spirit. formicar. Axung. viper. hepar anguill. Lachrymæ vitium primo vere collectæ, & mediante digestionem blanda depuratæ, nec non suffitus ex Gummirefinis

finis fragrantibus ad fibras circulares iterum constringendas erunt commendanda.

§. XXX.

Datur & alius affectus, quo homines nonnulli objecta e longinquo posita difficiliter minusque accurate, utcunque magna; quam propius oculis admota, & his quidem magis elatis quam subversis, cernere valent, Myopes inde seu lusciosi germ. *Ubersichtige* nominati. Oritur hoc præcipue malum, vel ab imbecillitate congenita spirituum visivorum; vel ab aucto inter humorem crystallinum & pupillam spatio, unde radii objectorum distantium centrum visionis attingere nequeunt; vel quando humores ex ordine suo dislocati versus anteriora magis provolvuntur, ideoque pupilla quâ patet, tota humida quadam liquidaque materia obducitur; quapropter etiam necesse est, ut objectum visibile in loco eminentiori sit collocatum, quo scil. pupilla particulas fluidas transcendere, eaque humoribus inferiora versus declinantibus superiora versus vergere valeat. Huic vitio quemadmodum evacuantibus, humores superfluos eliminantibus, & antiparalyticis, si pupilla paralyti corripatur, occurrimus, ita id mali pravo lucubrandi more, Veneris abusu, radiorum *Orium* vel ignis probatorii intuitu incauto abstinendo, sæpissime præservamus.

§. XXXI.

Restat, ut Strabismum quoque germ. *das Schielen*, brevibus licet, attingamus, utpote quod vitium in motu oculorum læso, ex quo à communi visionis

puncto deflectentes, ad obliquum sive versus nasum, sive extrorsum tendunt, potissimum consistit. Ratione originis hoc malum vel a relaxatione, vel contractione, distorsione, nimia longitudine aut brevitate musculorum oculos moventium speciatim abducentium & adducentium, contingit, unde oculi non satis recta linea versus punctum visionis in rerum conspectu diriguntur; interdum a consuetudine oculum ad lucem oppositam vel fenestras lucidas detorquendi (quod recens-natis infantibusque admodum solenne est) nonnunquam a terrore inopinato, fulgure, convulsionibus epilepticis, alio vero tempore a decubitu humorum acriorum musculos vellicantium & contrahentium Strabismi causa primaria dependet. Quamdiu oculus adhuc dolet, tamdiu non est, ut de Strabismi curatione animum despondeamus; si vero doloris sensus cesset, parum vel nihil spei ad naturalem oculi conformationem requirendam affulgebit. Si consuetudini pravæ hic affectus debeatur, & oculus jam distortus sit, contrarium priori situm componere convenit, ut oculus affectus sensim motui naturali cernendique functioni adsvescat. Aut larva duobus foraminibus oculorum cavitati adaptatis, faciei superimponenda, ut ita infans per dicta foramina luci intuendæ adsvescens oculos insimul in linea recta objecta adspicere erudiat. Si corpus cachecticum & impurum, sanguinem depurantia, antiscorbutica adhibeantur; si ad epilepsiam inclinet, antispasmodica nervina svadeantur; imo fonticuli in mali principio erunt commendandi. Si ex paralyfi Strabismi

bismi

bismi affectus oriatur, antiparalytica, fetus nimir. ex Lavendul. Salv. fl. Anth. Beton. Hyperic. Rut. &c. parati magnæ efficaciam existunt. Uti vero hæc in recens-natis, infantibus & pueris obtinent, ita in adultis, ubi partium tubuli duriores, fibrillæ crassæ, rigidæ & inflexiles observantur, in Strabisino curando vix dabitur hujus vitii remedium.

§. XXXII.

Atque hi sunt affectus oculorum præcipui, quos L. B. censuræ benevolæ subjicere collibuit. Non ignoro, super esse adhuc alios qui Medico in praxi clinica versanti obveniunt curandi; ast cum in ipsa hujus dissertationis rubrica promiserim, me præcipuos saltem oculorum affectus hac vice explanaturum; utique promisso mihi standum duxi; donec plura & meliora de hac materia conscribendi occasio affulgeat.

DEO sit laus, honor atque Gloria.

*TANTUM.*



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Check the list below for more information

NOTICE

